

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5747

Auteur(s) : Rotrou de Warwick, Évreux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Chartres (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1157

Lieu d'émission : Chartres

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Rotrou, évêque d'Évreux, confirme les églises d'Illiers-l'Évêque à l'église [cathédrale] Notre-Dame de Chartres et à l'abbaye Saint-Père de Chartres.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Combalbert Grégory, *Actes des évêques d'Évreux (XIe siècle-1223)*, à paraître sur E-Cartae(lien à venir)

Texte établi d'après a

Rotrodus Dei gratia Ebroicensis Ecclesie humilis minister omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris, salutem in Domino. Notum et scripto nostro ratum esse volumus quod ecclesias de Illeis Ecclesie Sancte Marie Carnoti et monasterio Sancti Petri Carnoti, utriusque Ecclesie jure cognito, concessimus quiete in perpetuum possidendas, eo tenore ut predictae Ecclesie Sancte Marie et Sancti Petri totam decimam habeant, excepta decima terre quatuor carrucarum quam monachi de Strata colunt, quarum decimam idem monachi donatione nostra et auctoritate sibi quietam defendunt, et excepta tertia garba de Vileta et de feodo qui dicitur Jerosolimitanorum quam ad opus presbyterorum de Illeis detinuimus, que antea erat eorumdem sacerdotum. Siquidem canonici Sancte Marie et monachi Sancti Petri annuatim dabunt presbyteris de Illeis, pro messione, quinque modios, tres scilicet de hibernagio et unum de ordeo et alterum de avena. Porro, decedentibus presbyteris, presentationem subrogandorum Ecclesie Beate Marie et Sancti Petri concessimus et duas partes lane et duas partes candelarum in his videlicet quinque festis : in Pascha, in festo omnium sanctorum, in Natale Domini, in Purificatione beate Marie et ejus Assumptione. Reliqua autem que altario pertinent, sicuti agnos et porcellos et decimam lini et chanvre, jure sacerdotali, presbyteri sibi habeant et decimam vini vinearum que tunc erant in parrochia illa quando hec donatio facta est, sic tamen ut, si forte alie vinee in toto territorio de Illeis plantarentur, decime earum Beate Marie et Sancti Petri essent. Si autem que tunc erant vinee ad terram arabilem reverterentur, decima illius terre in jus predictarum Ecclesiarum Sancte Marie et Sancti Petri veniret. Sed et concessimus quod si forte aliqui laicorum qui in parrochia de Illeis decimas tenent, eas Ecclesie Beate Marie et Sancti Petri concederent, vel si predictae Ecclesie ipsas aliqua ratione sibi perquirere possent, eas illis habendas auctoritate nostra confirmamus. Dominus quoque Symon de Aneto, qui tunc erat dominus Illeiarum, has ecclesias in presentia nostra apud Coldras concessit habendas in perpetuum Ecclesie Beate Marie Carnoti et monachis Sancti Petri. Hoc etiam notum vobis esse volumus et ratum permanere quod Willelmus Golferius concessit monachis Sancti Petri in presentia nostra apud Britolium quicquid juris in predictis ecclesiis et decimis prius habuerat. Hoc quoque prius in presentia nostra diffinitum est quod domnus Robertus, qui tunc erat Carnotensis episcopus, medietatem hujus decime ad Ecclesiam suam pertinentem,

concedente ibidem capitulo suo, in vita sua possideret, et post ejus decessum in dominium capituli veniret, unde et capitulum ejus anniversarium singulis annis ageret, et totum redditum medietatis hujus decime, in anniversaria die obitus sui, canonicis et clericis chori qui anniversario interessent divideret, prout eis idem episcopus, vel in vita vel in decessu suo, litteris et sigillo suo institueret. Laboraverat enim in restituenda hac decima et Ecclesie sue et Ecclesie Beati Petri. Actum Carnoti publice in capitulo Beate Marie, anno ab incarnatione Domini M° C° L° VII°, in presentia mea et domini Roberti, tunc Carnotensis episcopi, et sui capituli, residentibus ibidem nobiscum Willelmo decano Ecclesie nostre, et sacerdotibus de Illeis Herberto et Gosberto, et plerisque aliis clericis nostris quos in comitatu nostro tunc habemus. Quod ut ratum per succedentia tempora perseveret, scriptum inde sollempniter factum sigilli nostri impressione munivimus. Hoc factum est, salvo per omnia jure nostro pontificali, videntibus Herberto sacrista, Roberto de Novo Burgo nepote nostro, canonico Ecclesie nostre, Daniele capellano, Gauterio de Ulmeia et Rotrodo canonico.